



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. VIII. De Capucinatorum origine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

post *Ioanna* Ferdinandi coniux quosdam Romanam misit ad Honorium Papam, & *B. Franciscum* adhuc superstitem: quorum quidem consensu impetrato, ex *S. Bartholomæi* Basilica fratres in urbem traduxit, ibiq; monasterium ipsis ædificauit, & templum an. 1233. dedicandum curauit.

Fuerunt itaque in primis initijs duo Franciscanorum conuentus apud Valentianas. Næ usque ad annum Christi 1241. vel secundum alios, 1251. fratres equidem in dicto loco *Drougon* sedem ac domicilium retinuerunt.

Dauentriense Franciscanorum monasteriū fundauit Eleonora Eduardi Angliæ Regis filia, & Reinaldi I. Geldriæ Ducis vxor. Præfuit Reinaldus annis 17. & obiit 1343. vt *Aquilius* & *Tegnagelius* tradunt.

Eadem & Eleonora fundauit Franciscanorum monasterium *Hardereuici*, vt idem *Aquilius* refert.

De *Bruxellensi*, *Antuerpiensi*, *Louaniensi*, *Siluiducensi*, *Gandensi*, *Brugensi*, *Iprensi*, *Duacensi*, & alijs quàm plurimis Franciscanorum per Belgicam cœnobijs, eorumque originibus vide *Historiam Seraphicam* *Francisci Gonzagæ*.

CAPVT VIII.

De Capucinatorum origine.

Circa annum Christi 1525. Capucinatorum in-

institutum Fr. *Matthæus Baschius*, apud *Vmbros* natus, inchoauit, monasterio apud *Camerinum*, *Vmbriæ* urbem, ab illustri matrona *Catharina Cibo*, *Camerini* Duce donatus. Habuit is socios Fr. *Ludouicum Tenaliam* *Forosemproniensem*, eiusque fratrem germanum. Hi *Romam* profecti à *Clemente VII.* Pontif. Maxim. impetrarunt facultatem ferendi tunicam asperiolem & villosam, coloris cinericei, cum caputio in vertice acuminato, facultatem similiter suscipiendi fratres, & seculares ad eundem habitum atque ad triumvotorum professionem iuxta sancti *Francisci* institutum admittendi: vt constat ex diplomate anno 1526. Maij octauo die dato. Primus porro *Capucinorum* Præfectus generalis anno 1528. electus fuit idem *Matthæus Baschius*, post eum *Ludouicus Tenalia*, & sic alij ex ordine ad nostra vsque tempora.

Ita ferè *Petrus Rūdolfus Tossiniacensis* in historia sua *Seraphica Romæ* anno 1586. edita, & *Paulus Morisius* libro I. *Originum monasticarum*, cap. 53. & alij. Sunt qui aliter non nihil ista narrent: de quibus vide *Chronicon nostrum* rerum toto orbe gestarum, cum *Sigeberto Gemblacensi*, *Antuerpię* editum.

Maximo fanè fructu inter *Hæreticos* hodie versantur *PP. Capucini* in *Gallia*, *Germania*, vicinisque prouincijs,

vt & Discalceati Carmelitæ, alijque Ordines reformati: quòd ad deuios istos homines reducendos sæpè plus valeant exempla quàm verba.

CAPVT IX.

*Ordo Clarissarum, seu monialium Ord.
B. Francisci.*

CLARA, nobilis virgo Assisij nata in Umbria, S. Franciscum ciuem suum imitata, facultatibus suis in pauperem erogatis, quem admodum ille fratrum, sic ipsa sacrarum fororum collegium instituit: cum quibus in Ecclesia Sancti Damiani vixit admirabili sanctitate. Quæ, Saracenis Assisium obsidentibus, & monasterium, cui illa præerat, inuadere conantibus, ægra se ad portam efferri voluit, vnaque vas, in quo sanctissimum Eucharistiæ sacramentum erat inclusum: ibique orauit in hunc modum: *Ne tradas Domine bestijs animas consistentes tibi, & custodi famulas tuas, quas pretioso sanguine redemisti.* In cuius oratione ea vox audita est: *Ego vos semper custodiam.* Saraceni autem partim se fugamandarunt: partim qui murum ascenderant, capti oculis, præcipites ceciderunt. Ipsa virgo paulò post ieiunijs, orationibus, vigiliisque confecta, cum duos & quadraginta annos summa cum laude monasterium gubernasset,